

ipse dominus imperator inter multa alia, que ei regia liberalitate dona concesserat, abbatiam beati Gaugerici, que ante consularis potentie dominatu male tenebatur, liberam episcopo habendam donaverat¹, que usque in hodiernum pontificali se gaudet faveri gracia, que barbarico vexabatur imperio. Igitur licet regis potentia hoc facile impetrare potuisset, tamen benivolentiam episcopi potius experiendam arbitratus predicta sibi corpora dari poposcit. Episcopus vero regis petitionem gratanter excipiens, sed petitionis effectum multa argumentatione dissimulare querens, tandem ne ingratus beneficiis superioribus videretur, licet invitus se facturum, quod tantus princeps postulaverat, pollicetur. Verum inexperta sanctorum voluntate periculosum sibi et provincie sue perniciosum fore metuebat, si sanctos Christi confessores a suis sedibus remove presumeret, per quos Cameracensis civitas felix in propagine, fertilis in gramine, et temporalem meruerat salutem et supernam sperabat beatitudinem. Itaque inter amorem regis et timorem divine offensionis anxius episcopus paucos, quos secretiores consilii adiutores elegerat, sibi adhibuit et ceteris ignorantibus duorum corpora sacerdotum, Theoderici videlicet venerabilis urbis ipsius episcopi et alterius, cuius nomen memorie non occurrit, detectis sepulchris, accepit, quę regi donanda estimavit, cum quibus et aliquos articulos beati de corpore Auberti preciosas reliquias ei concessit provida consilii ratione, ne et civitas Cameracensis suis patronis viduaretur neve episcopus mendacii culpam in se transfudisse videretur. Letus igitur imperator, rebus ad votum succedentibus, gloriosas reliquias suscepit easque in monasterio, quod ipse miro artificio construxerat, in supra memorata urbe locavit², sane non sine nutu divini consilii, scilicet ut et Cameracensis civitas, que confinium imperii eius a Francis disternat, et Magadaburg, que alio confinio sub regno eius Sclavos a Germania eliminat, beati viri munite presidio tamquam forti circumdate muro tuerentur. Iam vero fama huiusmodi tocus Germanie fines occupaverat, que sanctos confessores a finibus Gallicis evectos adeo affirmabat, ut nulli incredibile videretur, quod tam celeberrime opinionis nuntia testabantur. Sed illis aliud opinio favebat, nobis aliud veritas servabat. Nam nostris temporibus contigit quendam vite venerabilis urbis ipsius archidiaconum, nomine Auffridum, inter multa, que per loca sanctorum distribuerat, beato Gaugerico scrinium unum auro vel argento manu artificis decoratum fabricasse, in quo confessoris menbra nobilius recondenterentur. Superveniente igitur die, quo mutationis ministerium expleri debuisset, venerabilis

1) Gesta ep. Camer. I, c. 73, SS. VII, p. 427.
von Jacques de Guise aufgenommen.

2) Bis hierher